



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||**

**Erasmus, Desiderius**

**Basileae, 1518**

**VD16 E 3644**

Flavii Vopisci Syracvsii Tacitvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14277**

bat. V xori, & filiæ anulū sigillariciū quasi priuatus instituit. Seruis suis uestes easdē imperator, quas & priuat⁹ dedit: præter duos senes, quibus quasi libertis plurimū detulit, Antistium & Gillonem, qui post eum ex senatus sententiā manumissi sunt. Erat quidem rarus in uoluptatibus: sed miro modo mimis delectabatur: uehementissime autē delectatus est Phagone, qui usq; eo multū comedit, ut uno die ante mēsam eius aprum integrum, centū panes, ueruecem, & porcellum comederet: biberet autem in fundibulo appposito plus orca. Habuit tempus præter seditiones quasdam domesticas fortunatissimum: populus autem Romanus eum amauit, senatus timuit.

*Nota*  
Phago Homo Vorax

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

## TACITVS



**Q**UOD post excessum Romuli nouello adhuc Romæ urbis imperio factum pontifices, penes quos serius scribendæ historiæ potestas fuit, in literas retulerunt: ut interregnum dum post bonum principē bonus alius quæritur, iniretur. Hoc post Aurelianū habito, inter senatum, exercitūq; Romanum non inuido, non tristi, sed grato, religiosūq; certamine sex totis mensibus factum est. Multis tamen modis hæc ab illo negotio causa separata est. Iam primum enim cum interregnum inutum est, post Romulum interreges tamē facti sunt. Totusq; ille annus per quinos & quaternos dies siue ternos centum senatoribus deputatus est, ita ut qui ualere, interreges essent singuli dumtaxat. Quare factum est, ut & plures annos interregnum iniretur, ne aliquis sub æquali dignitate Romani expers remaneret imperij. Huc accedit, quod etiam sub consulibus tribuniq; militaribus præditi imperio consulari, si quando interregnum inutum est, interreges fuerunt. Nec unquam ita uacua fuit hoc nomine Romana Respub. ut nullus interrex biduo saltē triduoue crearetur. Video mihi posse obijci curules magistratus, apud maiores nostros quadriennium in Rep. nō fuisse: sed erant tribuni plebis, cum tribunitia potestate, quæ pars maxima regalis imperij est. Tamen non est proditum interreges eo tempore non fuisse: Quinetiam uerioribus historicis referentibus declaratū est, consules ab interregibus post creatos, qui haberēt reliquorū comitiā magistratuū. Ergo quod rarum & difficile fuit, Senatus P. Q. R. perpessus est, ut imperatorē per sex menses, dū bonus quæritur, Resp. nō haberet. Quæ illa concordia militum: quanta populo quies: quàm grauis senatus autoritas fuerit: Nullus usq; tyrān⁹ emerit: sub iudicio senatus, & militū, populūq; Romani totus orbis est tēperatus: nō illi principē quenq; ut recte facerent, non tribunitiam potestatem formidabant: sed quod est in uita optimū, se timebāt. Dicenda est tamē causa tam feliciū morarū, & speciatim monumētis publicis inferēda, ea in posteros humani generis stupēda moderatio: & discāt q; regna capiūt, nō raptū ire iperia, sed mereri.

Interfecto



Interfecto sanè fraude Aureliano, ut superiore libro scriptū est, calliditate serui nequissimi, errore militariū, ut apud quoslibet cōmenta plurimū ualēt, dūmodo irati audiant, plerūq; temulenti, certe consiliorū propè semp exptes, reuersis ad bonā mētē oibus, eisdemq; ab exercitu grauius cōfutatis, cōceptū est quari, & quis fieri deberet ex oibus princeps. Tunc odio praesentiu exercitus, qui creare imperatorē raptim solebat, ad senatū literas misit: de quibus priore libro iā dictū est, petēs ut ex ordine suo principē legerēt. Verū senatus sciens lectos à se principes militib<sup>9</sup> non placere, rē ad milites rettulit. Dumq; id sapius fit, sextus pactus est mēsis. Interest tamē, ut sciat quēadmodū Tacitus impator sit creatus. Die VII. Calen. Octob. cū in curiā Pompilianā ordo amplissimus cōsedit, Velius Cornificius Gordianus cōsul dixit: Referimus ad uos P. C. quod saepe retulimus. Impator est deligēdus: exercitus sine principe recte diutius stare nō potest, simul quia cogit necessitas. Nā limitē trans Rhenū Germani rupisse dicunt: occupasse urbes ualidas, nobiles, diuites, & potētes. Iam si nihil de Perficis motibus nunciat, cogitate tam leues esse mētes Syrorū, ut regnare uel feminas cupiāt potius quā nostrā perpeti sanctimoniam. Quid Africā? Quid Illyricū? Quid Aegyptū: earūq; oim partiū exercitū, quousq; sine principe credimus posse cōsistere? Quare agite P. C. & principē dicite: aut accipiet eū exercitus, quē elegeritis: aut si refutauerit, alterum faciet. Post hęc cū Tacitus, qui erat primae sententiae cōsularis, sententiā incertā quā uellet, diceret: omnis senatus acclamauit. Tacite Auguste dii te seruent: te deligimus, te principē facimus, tibi curam Reipu. orbisq; mandamus. Suscipe imperiū ex senatus autoritate: tui loci, tuae uitae, tuae mētis est, quod mereris. Princeps senatus recte Augustus creatur, primae sententiae uir recte imperator creatur. Et quis melius quā grauis imperat? & quis melius quā literatus imperat? Quod bonum faustum salutareq; sit, diu priuatus fuisti. Scis quemadmodū debeas imperare, qui alios principes pertulisti. Scis quēadmodū debeas imperare, qui de alijs principibus iudicasti. At ille. Miror P. C. uos in locū Aureliani fortissimi imperatoris senē uelle principem facere: en membra, quae iaculari ualeant, quae hostile torquere, quae clypeis intonare, quae ad exemplū docendi militis frequēter equitare. Vix munia senatus implem<sup>9</sup>. Vix sentētias, ad quas nos locus arctat, ediscimus. Videte diligētius quā aetate de cubiculo atq; umbra in pruinis, aestusq; mittatis, an probaturos senem imperatorē milites creditis? Videte, ne Reip. non eum quē uelit principem detis: & mihi hoc solū obesse incipiat, quod me unanimiter delegistis. Post hęc acclamationes senatus hęc fuerunt. Et Traianus ad imperiū senex uenit, dixerunt decies. Et Adrianus ad imperiū senex uenit, dixerunt decies. Et Antoninus ad imperiū senex uenit, dixerunt decies. Et tu legisti. Incanāq; cōmenta Regis Romani, dixerunt decies. Et quis melius quā senex imperat? dixerunt decies. Imperatorē te nō militē facimus, dixerunt uicies. Tu iube milites pugnare, dixerunt tricies. Habes prudentiam & bonum fratrem, dixerunt decies. Seuerus dixit, caput imperare non pedes, dixerunt tricies. Animū tuū nō corpus eligimus, dixerunt uicies. Tacite Auguste Dii te seruent. Deinde oēs interrogati praterca



» præterea qui post Tacitū sedebat senator cōsularis Metius Falconius Nicoma-  
 » chus in hæc uerba disseruit. Semp quidē P. C. recte, atq; prudēter Reip. magni-  
 » ficus hic ordo cōsuluit, neq; à quoq; orbis terræ populo solidior unq; expectata  
 » sapiētia est. Attamē nulla unq; neq; grauior, neq; prudentior in hoc sacrario di-  
 » cta sentētia est. Seniorē principē fecimus & uirū, qui om̄ibus quasi pater consu-  
 » lat: nihil ab hoc immaturū, nihil properū, nihil asperū formidandū est. Omnia  
 » seria, cūcta grauiā, & q̄si ipsa resp. iubeat, augurāda sunt. Scit em̄ qualē sibi prin-  
 » cipē semp optauerit: nec potest aliud nobis exhibere, q̄ qd̄ ipse desyderauit, &  
 » uoluit. Enim uero si recolere uelitis uetusta illa prodigia, Nerones dico, & Helio-  
 » gabalos, & Cōmodos, seu potius semp incōmodos: certe nō hominū magis ui-  
 » tia illa, q̄ atatū fuerūt. Dij auertāt principes pueros, & patres patriæ dici impu-  
 » beres: & quibus ad subscribendū magistri literarij manus teneant: q̄s ad cōsula-  
 » tus dandos dulciā, & circuli, & q̄cūq; uoluptas puerilis inuitet. Quæ malū ratio  
 » est habere imperatorē, qui famā curare nō nouerit: qui quid sit resp. nesciat: nu-  
 » tritorē timeat, respiciat ad nutricē: magnorū magistraliū ictib⁹, terroriq; subia-  
 » ceat: faciat eos COSS. duces, iudices, quorū uitas, merita, ætates, familias, gesta  
 » nō norit. Sed quid diutius P. C. protrahor: magis gratulemur, qd̄ habem⁹ prin-  
 » cipem senē, q̄ illa iteremus, quæ plus q̄ lachrymāda tolerantib⁹ exiterūt. Gra-  
 » tias igit̄ dijs immortalib⁹ ago, atq; habeo, & quidē p̄ uniuersa rep. Teq; Tacite  
 » Auguste cōuenio petēs, obsecrans, libere p̄ cōmuni patria legibus deposcēs, ne  
 » paruulos tuos, si te citius fata præuenerint, facias Romani hæredes imperij: ne  
 » sic remp. patresq; cōscriptos, populūq; Romanū, ut uillulā tuā, ut colonos tuos,  
 » ut seruos tuos relinquant: quare circūspice, imitare Neruas, Traianos, Adrianos.  
 » Ingens est gloria moriētis principis remp. magis amare q̄ filios. Hac oratione  
 » & Tacitus ipse uehemēter est motus, & totus senatori⁹ ordo cōcussus. Statimq;  
 » acclamatū est: Omnes om̄es in Deciū ad campū Martiū. Ibi comitiale tribunal  
 » ascēdit: ibi præfec. urbis Aelius Cæsetian⁹ sic locutus est: Vos sanctissimi milites,  
 » & sacratissimi uos quirites habetis principem, quē de sentētia omniū exercituū  
 » senatus elegit. Tacitū dico Augustissimū uirum: ut qui hæctenus sententijs suis  
 » remp. iuuit, nunc iuuet iussis, atq; consultis. Acclamatū est à populo: Felicissime  
 » Tacite Auguste dij te seruēt: & reliqua quæ solent dici. Hoc loco tacendū nō est  
 » plerofq; in literas retulisse Tacitū absentē, & in Campania positū principē nun-  
 » cupatū: qd̄ uerū est, nec dissimulare possum. Nam cū rumor emerisset illū Im-  
 » peratorē esse faciendū, discessit: atq; in Baiano duobus mensibus fuit. Sed inde  
 » deductus huic senatus cōsulto interfuit, quasi uere priuatus, & qui uere recusaret  
 » imperiū: ac ne quis me Græcorū alicui, uel latinorū existimet temere credidisse,  
 » habet bibliotheca Vlpia in armario sexto librū Elephantinū, in q̄ hoc s. C. per-  
 » scriptū est: cui Tacitus ipse manu sua subscripsit. Nam diu hæc s. C. quæ ad prin-  
 » cipes pertinebant, in libris Elephantinis scribebant. Inde ad exercitus p̄fectus:  
 » ibi quoq; cū primū tribunal ascēdit Messius Gallicanus præf. præf. in hæc uerba  
 » disseruit: Dedit sanctissimi cōmilitones senatus principem, quē petistis: paruū  
 » præceptis, & uoluntati castrensium ordo ille nobilissimus. plura mihi apud uos  
 » præsentē Imperatore nō licet loqui. Ipsum igitur, qui tueri nos debet, loquentē  
 » N dignanter

Princeps  
puer.



dignanter audite. Post hoc Tacitus Augustus dixit. Et Traianus ad imperiū se-  
 nex uenit, sed ille ab uno deductus est. At me sanctissimi cōmilitones primū uos,  
 qui scitis principes approbare, deinde amplissimus senatus dignū hoc nomine  
 iudicauit: curabo, enitar, efficiā, ne uobis desint, si non fortia facta, at saltē uobis,  
 atq; imperatore digna cōsilia. Post hoc stipendiū, & donatiuū ex more pmisit,  
 & primā orationē ad senatū talem dedit. Ita mihi liceat P. C. sic imperiū regere,  
 ut à uobis me constet electū: ut ego cuncta ex uestra facere sentētia, & potestate  
 decreui. Vestrū est igit ea iubere, atq; sancire, quæ digna uobis, digna modesto  
 exercitu, digna populo Ro. esse uideant. In eadē oratione Aureliano statuam  
 auream ponendā in capitolio decreuit: Itē statuā argēteam in curia, itē in tēplo  
 Solis, itē in foro Diui Traiani. Sed aurea nō est posita: dedicatæ autē sunt solæ  
 argēteæ. In eadē oratione cauit: ut si quis argēto publice, priuatiūq; as miscuis-  
 set, si quis auro argentū, si quis ari plumbū, capitale esset cū bonorū pscriptio-  
 ne. In eadē oratione cauit, ut serui in dominorū capita non interrogarent: ne in  
 causa maiestatis quidē addidit, ut Aurelianū omnes pictū haberēt. Diuorū tem-  
 plum fieri iussit, in q̄ essent statuæ principū bonorū, ita ut iisdē natalib⁹ suis, &  
 parilib⁹ & Calen. Ianuarijs, & uotis libamina ponerent. In eadē oratione fratri  
 suo Florianō cōsulatū petijt: nō impetrauit, idcirco q̄ iam senatus omnia inuidia  
 suffectorū cōsulū clauserat. Dicit autē multū lætatus senatus libertate, q̄ ei ne-  
 gatus est cōsulatus, quē fratri petierat. Ferē deniq; dixisse: scit senatus, quē prin-  
 cipem fecerit. Patrimoniū suū publicauit, qd' habuit in redditib⁹ HS bis millies  
 octingēties. Pecuniā quā domi collegerat, in stipendiū militū uertit. Togis, & tu-  
 nicis iisdē est usus, quibus priuatus. Meritoria intra urbē stare uetuit, qd' quidē  
 diu tenere nō potuit. Thermas omnes ante lucernā claudi iussit, ne quid p noctē  
 seditionis oriret. Cornelium Tacitū scriptorē historiæ Augustæ, q̄ parentē suū  
 eundem diceret, in omnib⁹ bibliothecis collocari iussit: & ne lectorū incuria de-  
 periret, librū per annos singulos decies scribi publicitus in euicis archus iussit: &  
 in bibliothecis poni. Holofericā uestē uiris omib⁹ interdixit. Domū suā destri-  
 præcepit, atq; in eo loco thermas publicas fieri priuato sumptu iussit, columnas  
 centū numidicas pedū uicenu ternū Hostiensib⁹ donauit. De pprio possessio-  
 nes, quas in Mauritania habuit, sartis tectis Capitolij deputauit. Argentū men-  
 sale qd' priuatus habuerat, ministerijs cōuiuiorū, quæ in tēplis fierēt, dedicauit.  
 Seruos urbanos omnes manumisit utriusq; sexus intra centū tamē, ne caniniam  
 transire uideret. Ipse fuit uitæ parcissimæ: ita ut sextariū uini tota die nunq; po-  
 tauerit, sæpe intra heminā. Conuiuū uero unius gallinacē, ita ut sinciput adde-  
 ret: & oua pro omib⁹ olerib⁹ affatim ministratis, lactucis impatiēter indulsit.  
 Somnū em se mercari illa sumptus effusione dicebat. amariores cibos appeti-  
 uit. Balneis raro usus est, atq; ualidior fuit in senectute. Vitreorum diuersitate,  
 atq; operositate uehementer est delectatus. Panē nisi siccū nunq; comedit: eun-  
 demq; sale, atq; alijs rebus cōditum. Fabricarū peritissimus fuit, marmorū cupi-  
 dus, nitoris senatorij, uenationū studiosus. Mensam deniq; suā nunq; nisi agre-  
 stibus opimauit. Phasianā auem nisi suo, & suorū natali, & dieb⁹ festissimis nō  
 posuit. Hostias suas semper domū reuocauit, iisdemq; suos uesci iussit. Vxorē  
 gemmis

Euica:

Sarta tecta,



gemmis uti nō est passus. Auro clauatis uestibus idē interdixit. Nam & ipse autor Aureliano fuisse perhibet, ut aurū à uestibus & cameris, & pellibus submoueret. Multa huius ferunt, sed longū est ea in literas mittere. Qd' si quis omnia de hoc uiro cupit scire, legat Suetoniū Optatianū, qui eius uitā affatim scripsit. Legit sanē senex minutulas literas ad stuporē: nec unq̄ noctem intermisit, quā non aliquid uel scriberet, uel legeret, præter posterū Calendarū diem. Nec tacendum est, & frequēter imitandum tantā senatus latitiā fuisse, q̄ eligēdi principis cura ad ordinē amplissimū reuertisset. Ut & supplicationes decernerent, & hecatombe promitteretur singulis. Deniq̄ senatores ad suos scriberēt: nec ad suos tantū, sed etiam ad externos. Mitterent præterea literæ ad prouincias, ut scirent omnes socij, omēs q̄ nationes in antiquū statū rediisse remp. Ac senatū principes legere, immo ipsum senatū principē factum: leges à senatu petendas, reges barbaros senatui supplicaturos: pacē, ac bella senatu autore tractanda. ne quid deniq̄ deesset cognitioni, plerasq̄ huiusmodi epistolas in fine libri posui: & cū cupiditate & sine fastidio, ut existimo, perlegendas. Et prima quidē illi cura Imperatoris facti hæc fuit: ut omēs, qui Aurelianū occiderant, interimeret, bonos, malosue, cū iam ille uindicatus esset. Et quoniā à Mæotide multi barbari eruperant, hos eosdē cōsilio, atq̄ uiribus, ut eò redirēt, cōpulis. Ipsa autē Mæotide ita cōgregabant quasi accitu Aureliani ad bellū Persicū cōuenissent auxiliū daturi nostris, si necessitas postulare. cū Tullius dicat magnificētius esse dicere, quē admodū ceperit cōsulatū Marcus: at in isto uiro magnificū fuit, q̄ tāta gloria cepit imperiū. Gessit autē ppter breuitatē tēporū nihil magnū. Interemptus est em̄ insidijs militaribus, ut alij dicunt, sexto mense, ut alij, morbo interiit. Tamē constat factionib⁹ eum oppressum mēte, atq̄ animo defecisse. Hic idē mensem Septembrem Tacitū appellari iussit: idcirco, q̄ eo mense & natus, & factus est Imperator. Huic frater Florianus imperio successit, de quo pauca ponenda sunt.

Suetonius  
Optatianus

FLAVII VOPISCI SYRACVSII

## FLORIANVS



**N**ic frater Taciti germanus fuit, qui post fratrem arripuit imperium: nō senatus autoritate, sed suo motu, quasi hæreditariū esset imperiū: cum sciret adiuratū esse in senatu Tacitū, ut cū mori cœpisset, nō liberos suos, sed optimū aliquē principē faceret. Deniq̄ uix duobus mētib⁹ imperiū tenuit, & occisus est Tarsi à militibus, qui Probū audierant imperare: quē omnis exercitus legerat. Tantis autē Probus fuit in re militari, ut illum senatus optaret, miles eligeret: ipse populus Romanus acclamationib⁹ peteret. Fuit etiā Florian⁹ morū fratris imitator, nec tamē usq̄ quaq̄. Nam effusionē in eo frater frugī reprehēdebat: & hæc ipsa imperandi cupiditas alijs eum morib⁹ ostendit fuisse q̄ fratrē. Duo igitur principes una extiterūt domo: quorū alter sex mēsibus, alter uix duob⁹ imperauerunt: quasi quidam interreges inter Aurelianū & Probū post interregnum

N 2 principes